





Conspectus dissertationum  
in hoc Volumine comprehensarum.

1. Christiani Thomasi *disf.* an promissor facti liberetur, praestando id, quod interest.
2. Idem de hypotheca facta propter pecuniam Lubricam.
3. Idem de Pactis futurorum sponsalium.
4. Idem de Interpretatione beneficiorum principis.
5. Ejusdem Triga casuum.



00  
2.





62



2. D. B. V. 17

DE

IVRE PRINCIPIS  
EVANGELICI CIRCA  
SOLENNIA SEPVLTVRÆ,

Vom

Recht Evangelischer Fürsten  
bey Leich-Begängnissen,

PRAESIDE

DN. CHRIST. THOMASIO, ICto,

POTENTISSIMI REGIS BORVSSIAE AC REVEREND. ET SERENISS.

DVCIS SAXO-NVMBVVG. CONSILIARIO RESPECTIVE INTIMO, PROFESS.

IVR. ORDIN. ET FACVLT. IVRID. h. t. DECANO,

IN ALMA FRIDERICIANA,

IN AVDITORIO MAIORI,

DISPVTAVIT PVBLICE

d. 8. Aprilis M DCC II.

H. L. Q. C.

NICOLAVS PETRAEVS Giedda,

SVECVS.

---

Recusa, HALLÆ MAGDEBVRGICAE,  
TYPIS CHRISTIANI LVDOVICI SYMPHERI, ACAD. TYPOGR.

1740.

(6)

IVRE PRINCIPIS  
EVANGELII CIRCA  
SOLENNIA SEPTVARE

Dr. phil. phil. phil. phil. phil.  
Dr. phil. phil. phil. phil. phil.

DR. CHRIST. THOMASIO ICIO  
POTENTISSIMO REGIS RO. VASISAC REVERENS ET BERLINSIS  
HOC AD HOC TITULUM RESPECTIVE IN HOC PROBLEMA  
ORDINE ET HOC TITULO IN HOC DECVTO

ALMA FRIDERICIANA  
IN A. G. JO. M. TORI  
LITAVIT MDCX

NICOLAUS PETRAVS GIBDA

THE CHRISTIAN LUDOVICI SYMNERI, ACAD. TROSC.  
KON. HALLIS M. GDBERGENSIS





DISSERTATIO  
DE  
IVRE PRINCIPIS CIR-  
CA SOLENNIA SEPVL-  
TVRAE.

CONSPECTVS TOTIVS DISSERTATIONIS.

- O*ccasio Dissertationis, §. I.  
*S*epultum h. l. quid? §. II.  
*S*epultum honesta & inhonesta, illa solennis & minus solennis, haec igno-  
miniosa vel canina, §. III.  
*P*er Principem quid h. l. denotetur? §. IV.  
*C*ur Principis Evangelici saltem mentio fiat, §. V.  
*Q*uestionem non esse, quid Princeps Evangelicus possit per *Confessorium*  
aut cum consensu *Ministorum ecclesiae*, §. VI.  
*N*ec quæri de eo, quid Princeps possit circa ipsam sepulturam, §. VII.

A 2

Nec

4 DISSERT. DE IVRE PRINCIP. EVANGEL.

Nec quæri, quid Princeps possit inuitu comitoriorum aut sepulturæ in urbe vel templis, §. VIII.

Nec quæri, quid Princeps possit circa Sepulturam ignominiosam, §. IX. sed quæri de iure Principis circa solennia sepulturæ, §. X.

Item de iure Consiliariorum Politicorum superiorum Consistorio, §. XI. Status controuersia cum responsione generali, §. XII.

Possè Principem disponere de ceremoniis sepulturæ, siue sepultura consideretur, vt res ecclesiastica; §. XIII.

Siue sepultura, vti reuera est, consideretur vt res mere politica, §. XIV. Cur tamen cum sepultura tanquam rei sua natura Politicæ apud Principes Protestantes tractetur in Consistoriis? §. XV.

Possè Principem disponere de omnibus ceremoniis, ergo & de ceremoniis sepulturæ, §. XVI.

Principem possè mutare ceremonias Sepulturæ etiam inuito Consistorio & Ministerio ecclesiastico, §. XVII.

Præmissis cum totum Consistorium abrogare possit, §. XVIII.

Hic tamen duo vitanda est extrema, vnum, ne putemus, Consistoria esse inutilia, aut indistincte abrogari debere; §. XIX.

Alterum, ne potestatem Consistoriorum nimis extollamus supra Principem, aut eorum necessitatem nobis persuadeamus, §. XX.

Posterius extremum a Theologis Crypto-Papistis in Iurisprudentiam Ecclesiasticam esse introductum, §. XXI.

Qui breuiter resutantur ex Luthero, Augustana Confessione & propriis sententiis, §. XXII.

Principem Evangelicum prouocare esse debere ad minuendas ceremonias Sepulturæ, quam ad augendas, §. XXIII.

Sententiam aduersam sapere Crypto-Papismum & originem debere non solum Theologis, §. XXIV.

Rationes suadentes Principi mutationem solennium Sepulturæ, §. XXV.

Rationes sententiæ aduersæ, Principi adimentis ius disponendi de ceremoniis sepulturæ, §. XXVI.

Ad



CIRCA SOLENNIA SEPULTVRÆ.

3

Ad quas respondetur: in prioribus tribus committi confusionem Sepulturæ  
 minus solennis cum ignominiosa & asinina, §. XXVII.  
 Item ex aliis rationibus docetur, eas parum pertinenter inferre, §. XXVIII.  
 Respondetur ad rationem quartam de exemplis sanctorum, §. XXIX.  
 In quinta ratione plura ostenduntur partim falsa, partim vix excusanda,  
 partim a vitio vel crimine haud vacua, §. XXX.  
 Sextam rationem falsam supponere Syncretismi definitionem & aduersa-  
 rii Formula Concordiæ, §. XXXI.  
 Ad septimam rationem de utilitate & præstantia Concionum funebrium  
 respondetur verbis Brunnemanni, §. XXXII.  
 Ultima ratio reicitur verbis Apologie Augustanae Confessionis, §. XXXIII.

§. I.



Vincant olim in Papatu Principes omnes *Occasione Dis-*  
 Christiani sub iugo Cleri, qui sub præ- *sertationis.*  
 textu Iuris Episcopalis & Potestatis Ec-  
 clesiasticæ, non tantum dimidium &  
 ultra summæ potestatis, h. e. integrum  
 Ius circa Sacra iis eripuerant, sed & sa-  
 pissime crudelissimam tyrannidem in  
 sanctas & inuiolabiles personas eorundem exercebant.  
 Cum vero Dei Gratia per Reformatores primos eorum  
 oculi aperti fuerint, vt non solum pederentim iugum  
 istud excusserint, sed & in Ministros Verbi Diuini tan-  
 quam veros & genuimos subditos potestatem suo iure  
 iterum exercere per aliquot secula cœperint, ac lura  
 omnia, quæ in Canonibus Episcopalia vocantur, suspen-  
 sa aut reiecta Iurisdictione Papali, iure Maiestatis aut Su-  
 perioritatis territorialis sibi iterum vindicauerint; ope-  
 ra danda est Principibus quidem Euangelicis, vt pios ac  
 sinceros Ecclesiæ Ministros debito honore prosequantur,  
 eosque

A 3

cosque contra impios homines defendant ac tueantur, sed & vicissim opera danda est Ministris Evangelii, ut & ipsi recordentur admonitionis Paulinae, quae iubet omnem animam subiectam esse debere Potestatibus sublimioribus, tanquam a Deo ordinatis, utque Principibus suis, quacunque exhibita occasione reuerentiam & obsequium testentur. Vivimus tamen iis temporibus, ubi non raro Principibus a Ministris Ecclesiae ex intempestiuo Zelo quaestio status mouetur, & iura Principibus ex Iure Naturae & Gentium, & insuper ex clarissimis sacrarum literarum testimoniis indubie competentia, in controuersiam vocantur, tacentibus plerumque, aut etiam plane consentientibus, vel ex errore, vel ex adulatione intempestiua, Iure Consultis & Politicis, qui tamen iure suo debebant excessus tales modeste adnotare, & iura Principum vindicare. Edidit D. Michael Hauemannus, Ministerii Stadenensis Senior, tractatum de Iure Episcopali: Edidit D. Christianus Weber, Theologus Hallensis tractatum de Iure Consistoriorum, quorum utrumque beatus Ahasuerus Fritschius volumini de Iure Ecclesiastico inseruit. Hi vero multis in locis vix id operam dedisse videntur, ut exemplo parum laudabili iura Ministrorum Ecclesiae aut Consistoriorum, (haud dubie intuitu auctoritatis aut potestatis externae, vel Iurisdictionis quam habent, a mero Principis arbitrio regulariter dependentium,) supra Principem extollant, & tantum non Principem, ut in Papatu fieri solet, iis subiiciant, ut dolendum sit, Iure-Consultos Protestantas, hos & similes Auctores caeca sequela adducere & exscribere, vel etiam sententias eiusmodi corroborare, uti v. g. Mylerus ab Ehrenbach in Gamol. c. 8. non erubuit adstruere: Principem Euangelicum subesse proprii Consistorii. Quare non mirandum, si ex eiusmodi doctrinis saepe deducantur

tur conclusiones aperte falsæ, sed quæ tamen præiudicio autoritatis Virorum de Ecclesia & Rep. vt loqui solemus, egregie meritorum, veritatis umbram habeant, vel incautis falsum pro vera persuadeant. Cum igitur audiuerim, alicubi magno conatu intendere quosdam, vt ex fontibus eiusmodi parum limpidis denegent Principibus & Magistratui Politico potestatem mutandi solennia circa Sepulturam, putauit me non melius testari posse pietatem erga Principem Optimum, quam si speciminis Academici loco, dum abutum ex hac illustri Eri-dericiana medeste, Iura Magistratus Politici hac parte breuiter & modeste, solide tamen vindicarem.

## §. II.

Intelligo autem per Sepulturam, ritum a Iudæis *Sepultura h. l. quid?* olim, & postea a Christianis hucusque receptum, mortuos absque præcedente crematione, terræ mandandi, quo pacto non tantum a combustione Romanis visitata, sed & ritu Ægyptiaco balsamandi & condiendi mortuos fecernitur, etli & hoc modo sub latiore acceptione Sepultura apud Scriptores Latinos denotari soleat.

## §. III.

Distinguere solent Canonistæ Sepulturam in honestam & inhonestam. *Honestæ* est, cui adhibentur ceremoniæ ac ritus pro loci cuiusque consuetudine solennes: Quæ iterum ratione ceremoniarum subdiuidi potest in Ecclesiasticam & Militarem. *Ecclesiastica* est illa funeris ad cœmiterium deductio, quæ fit cum psalmodiis sacris ad viuentium informationem, ac consolationem, defuncti vero commendationem. *Militaris* est, quæ ritu militari adhiberi solet, *Ignominiosa* est, vbi solenni-

*Sepultura honesta & inhonestæ, illa solennis & ignominiosa vel canina.*

lennitates eiusmodi omittuntur. Cicero *insepultam Sepulturam* vocat: Ab aliis etiam canina & asinina *arg. text. Jerem. 22, 19.* nominatur, quia cadaver mortui plerumque extra locum consuetum religiosum in biuio, vel triuio, vel vbi brutorum cadauera abscondi solent, terra obruitur. *vid. Finkelth. de iure Sepulturae th. 2. lit. a.* His tamen addenda erit obseruatio Carpzouii *Iurispr. Eccl. lib. 2. def. 375. n. 3. 4. 5.* *Etsi Sepultura quandoque absque Ceremoniis peragitur, inde tamen non statim redditur ignominiosa, quia sufficit ad honestam Sepulturam, vel quod ritus ac ceremonias solennes adhiberi permiffum sit, licet ex defectu pecunie sapius omittatur: Vel quod in cæmeterio aliove loco honesto cadaver terra inferatur a vespilone non Carnifice. Quo posito facilius quis concesserit, pauperibus haud denegari sepulturam honestam, vt maxime parum solennitatis adhibeatur.* Ex quibus facile patet, sepulturam honestam recte subdiuidi in *solemnem & minus solemnem.* Nam & regulariter carentia solennitatum per se nihil inhonesti connotat, vel argumento diuinis notissimæ testamentorum in solennia & minus solennia. Porro nec inhonestam omnem esse caninam, sed potius *inhonestam* in *ignominiosam* & *caninam* seu *asininam* esse subdiuidendam ex Carpzouii alio loco *def. nempe. 382. n. 1. 2. 3.* patet. *Fieri potest, ait, vt ignominiosa quis afficiatur sepultura, licet non canina, vel asinina, quam proprie dicimus eam, quando carnifex demortui cadaver proicit, vel in loco inhonesto terra infert. Ignominiosam vero ac inhonestam vocamus sepulturam, que absque solennitatibus & ceremoniis in loco separato extra cæmeterium, vel intra illud ad parietes in angulo quodam peragitur, vt hinc simpliciter pro ignominiosa & inhonesta non sit habenda sepultura, cui non omnes adhibentur ceremonie, vel etiam pleræque intermittuntur, modo in cæmeterio & loco consueto cadaver terra inferatur. Nempe pro ra-*  
*ione*

*tionem circumstantiarum, defuncti licet non canina vel asinina, attamen ignominiosa extra cœtum pie defunctorum afficiuntur. Adde Ziegl. ad Lancellottum lib. 2. tit. 24. §. 9. p. 580.*

## §. IV.

Per Principem hic intelligo quemvis Magistratum Politicum summo imperio gaudentem, quæcunque Reip. forma sit, siue Aristocratica, siue Monarchica, siue etiam Democratica: & in Monarchia siue sit regnum electiuum, siue successiuum, siue vsufructuarium, siue patrimoniale, siue Maiestate strictè sic dicta polleat, siue superioritate territoriali, Maiestatis æmula, quatenus eiusmodi Magistratus Politicus opponitur Clero, seu stilo magis Euangelico, Ministris Ecclesiæ, aut etiam personis quibuscunque Ecclesiasticis.

*Per Principem quid h. l. denotetur.*

## §. V.

Dum Principem *Euangelicum* in titulo Dissertationis commemoro, subintellectum volo tam eum, qui Reformatorem, quam qui Lutheranam Religionem profiteretur, quatenus opponitur Principi aut Magistratui Romano-Catholico. Hi enim, cum non participant de iuribus Episcopalibus, nec poterunt etiam Dispositiones circa sepulturam sibi vindicare. Siquidem Ius Sepulturæ ad ipsam spectat Ecclesiam: ab eaque est impetrandum, *can. non astimemus 19. ibi: ad mortuos, pro quibus curam gerimus. C. 13. quest. 2. can. ubique can. placuit. can. precipiendum. dict. caus. 13. quest. 2. cap. cum in Ecclesia 9. Extr. de Simon. Omnis autem cura ac sollicitudo de Ecclesiis & piis causis ad Episcopum spectat. can. vnio c. 10. quest. 3. Berous vol. 1. consil. 6. n. 20. & 28. Petr. Gregor. Tholosan. lib. 2. syntagm. iur. cap. 1. n. 11.*

*Cur Principis Euangelici saltem mentio fiat.*

*in fin. adde cap. vn. extr. de iur. patronat. in 6to. Carpzov. Iurispr. Eccl. lib. 2. def. 390. n. 2. s. 7.*

## §. VI.

*Questionem  
non esse, quid  
Princeps Euan-  
gelicus possit  
per Consistorium  
aut  
Ministrorum  
Ecclesie.*

Ex dictis vero patet, hic non quæri, quid Princeps Evangelicus possit facere consensu Ministerii Ecclesiastici aut per Consistorium suum, (nam in eo omnes consentiunt, quod Princeps Evangelicus per Consistorium suum & cum consensu Ministerii possit expedire controuersias de Iure Sepulturæ; ) sed quid Princeps aut eius Collegia Politica possint facere *sine Consistorii vel Ministerii Ecclesiastici consensu aut etiam his inuitis*. Et hoc ideo præmonendum est, ne putemus, Iure-Consultos, quando loquuntur de Iure Sepulturæ ad Consistoria spectantes, semper respicere ad quæstionem a nobis proponendam, eamque negare velle, cum saltem loquantur de eo, quod fit regulariter ex institutione aut permissione Principum, cum Consistoria aut Ministeria Ecclesiastica agunt ex voluntate Principis vel expressa vel præsumta, non quando voluntas Consistorialium aut Ministrorum Ecclesie voluntati Principis aut Consiliariorum Politicorum opponitur. Et ita intelligo Carpzouium *in Iurispr. Consist. lib. 2. def. 378. n. 6. & 7.* ubi de moderandis ceremoniis in funere eorum, qui demones vel ex animi impotentia mortem sibi intulerunt, agitur, eamque rem cognitioni & arbitrio Magistratus Ecclesiastici seu Consistorii committendam esse his verbis asserit: *Cognitio causæ præcedat, necesse est, quæ ad Magistratum Ecclesiasticum seu Consistorium proprie spectat, a quo modus sepulturæ in casu occurrente præscribendus, licet quandoque Ministerium sibi partes hæc arroget, non forsitan sine causâ, quia ad ordinem in Ecclesia spectat sepultura.* Friederic. Balduin, *de Casib. Consc. lib. 4. c. 11. cas. 5. in pr.*

## §. VII.

## §. VII.

Neque iam sumus solliciti de eo, quid Princeps possit circa ipsam sepulturam, eiusque, intuitu moris perpetui Christianorum, essentiam genericam: Hoc est, an Princeps Evangelicus possit inbere, ut cadauera crementur, aut more Ægyptiorum condiantur, aut etiam in communem aliquam foueam terra non contactam proiciantur &c. An vero lege vel Diuina, vel Iure Gentium, vel ex principiis Christianismi id facere prohibeatur? Postquam enim Theologi Pontificii, Philosophiam Platoniam sequuti, sepulturam strictè dictam ex lege naturæ vel iure Gentium deducere annisi, & ex ipsa sacra Scriptura, vel ex exemplis, vel ex longè quæsitis rationibus, vel ex contortis locorum Scripturæ explanationibus sepulturam tanquam lege diuina præceptam comprobare ausi sunt, & magnus Grotius se communi ista, sed erronea opinione lib. 2. de I. B. & P. c. 19. abripi passus est, vnanimè & Theologi & ICI Protestantes, vbicunque de sepultura agendi occasio fuit, istum errorem propagarunt, ita, vt opinio non communis, sed vniuersalis sit, Principem Evangelicum, cum legibus diuinis & Iure Gentium non sit solutus, non posse hic aliquid immutare, ne consensu quidem Consistoriorum aut Ministerii. Videantur Commentatores Grotii ad d. l. 2. c. 19. Carpzov. d. l. def. 373. 374. Finckelth. de Sepult. concl. 1. Ziegl. Dissert. de Iur. Sep. cap. 1. 2. 3. & 4. Hospinianus de Orig. Templ. lib. 3. cap. 1. Polyd. Virgil. de rer. inuent. lib. 3. c. 10. & lib. 5. c. 6. Befold. Op. Pol. part. 8. lib. 3. cap. 1. Cum vero error hic communis præiudicium aliquod faciat etiam in definienda quæstione nostra speciali, breuiter de eo sententiam nostram saltem hic aperiemus. Deduxit vero Dn. Præf. lib. 3. Instit. Iurispr. diuina cap. 10. non dari Ius Gentium voluntarium, adeoque nec ius sepeliendi inde deriuari posse, neque ex officiis humanitatis, quæ mor-

*Non quæri de eo quid Princeps possit circa ipsam Sepulturam.*

tuis debeantur, neque ex alio præcepto legis naturalis officia hominum inter se dirigente, sepulturam tanquam debitam posse demonstrari, multo minus aliquid concludens inferri ex meditatione de dignitate hominis, neque ex lege diuina positiua vniuersali tale præceptum posse erui; sed amplius per argumenta sententiæ aduersæ inferri, quam quod sepultura Christianorum iuri naturali non repugnet, & tutissime ab iisdem retineatur, quoniam in Historia Sacra vident, a primis orbis conditi temporibus homines a Patriarchis & populo Israelitico terræ fuisse mandatos, neque tamen alias gentes, quibus alia sepulturæ ratio arrisit, in leges diuinas totum humanum genus obligationes peccasse. Ex his igitur vel sua sponte sequitur, nullam rationem subesse, quæ suadeat, quod Princeps Christianus & Euangelicus lege aliqua diuina impediatur, quo minus circa genus istud sepeliendi aliquid immutare possit, etsi consideratio status Christianismi facilius rationes sit suppeditatura, commendantes Principi omissionem eiusmodi mutationis ex capite utilitatis, cum non facile appareat, cui vsui futura sit ista mutatio, cum tamen turbæ ab errantibus & superstitionis excitandæ & adeo in periculum Remp. deducturæ non difficulter præsumi possint.

## §. VIII.

*Nec quæri,  
quid Princeps  
possit intuitu  
cæmeterio-  
rum aut se-  
pulturæ in  
vrbe vel tem-  
plis.*

Est & alia elegans quæstio, ex iisdem fontibus generalioribus cum nostra deriuanda, sed de qua tamen iterum primario non sumus solliciti, *de loco sepulturæ*, & quid hic Princeps mutare possit. Hæsitauerunt multi, cum legerent *in thesi vltima Inst. Iurispr. diu. subiuncta*, quod Dn. Præfes ibi posuerit: *Sepeliri mortuos in templis iuri naturali repugnare*. Videlicet nemo putat, id iuri naturali repugnare, quod videt quôtidie fieri inter medios Christianos, & approbari partim doctrina, partim exemplis, ab  
erudi-



eruditissimis ac reuerendissimis Doctoribus, item a Viris de Rep. & Ecclesia insigniter meritis. Nihilominus res ipsa loquitur, iuri Naturæ aduersum esse tale quid facere, ex quo insigne damnum in totam societatem redundat. Iam cum effluuia ex cadaueribus mortuorum maximè sanitati noxia continue exeant, & pro incremento putredinis incrementum etiam in potentia nocendi iis accrescat, eoque efficacior hæc potentia nocendi sit, quo magis clausus est sepulturæ locus, vt regulariter fit in templis, patet, per hanc sepulturam insigne damnum dari ciuibus omnibus in vrbe eiusmodi intuitu sanitatis. Hinc non solum Moses voluit, sepulturam esse debere extra castra & vrbes, sed & communiter apud alias Gentes, Græcos pariter & Romanos, & in ipsa quoque lege XII. Tabb. prohibitum fuit, ne sepulcra essent in vrbe, quod & ipsum a primis Christianis fuit obseruatum. Postea cum mox post mortem Apostolorum superstitione, ambitio, auaritia sub laruis Christianissimi regnare inciperent, & a temporibus potissimum Constantini M. templa in locis, vbi martyrum sepulcra erant, exstruerentur, aut martyrum cadauera in templa translocarentur, persuasit Clerus populo, sanctiores esse homines, quo propius templo vel altari sepelirentur, vel prodesset etiam defunctis, si prope martyrum cadauera sepelirentur, ipse vero Clerus primario utilitatem suam quaerebat, vt nempe simplices Laici vigiliis & missis eo magis multiplicatis explerent sacram eorum auri famem. Vnde vel stupidissimus videt, quam inanes ac ridiculae sint rationes quæ pro commendanda sepultura in vrbe & templis afferuntur i. Nouella Leonis s. 3. item in can. cum grauia 17. & can. non estimemus 19. can. 13. qu. 2. vid. Ziegl. ad Lancell. l. 2. tit. 24. §. 1. & de iure sepult. c. 6. Finckelth. de Sepult. th. 18. Besold. Op. Polit. Parr. 3. lib. 3. c. 2. & omni-

no Anonymus in tractatulo Francofurti A. 1685. edito, cui titulus: Schrift- und Natur-mäßiges Bedencken über die Begräbnisse der Abgestorbenen, welche man in die Kirchen und Beth-Häuser zu begraben pfeget. Wobey angezeigt werden unterschiedliche Sympathetische Natur-Würkungen; wie auch, daß die dem Volk Israel beschene Verordnungen, betreffend die toden Leichname, das Blut, und dergleichen Dinge, nicht bloße Ceremonien seyn, sondern ihre ganz eigentliche, wichtige und zu dem menschlichen Wohlergehen hochnöthige Ursachen haben. Ergo multæ rationes & physica & morales & Christianæ ex dictis deduci possent, Principi Evangelico commendantes mutationem, etiam invito Clero, intuitu sepulcrorum, quæ in vrbe & templis fiunt. Sed de his tamen iam non sumus ulterius solliciti.

## §. IX.

*Nec queri,  
quid Prin-  
ceps possit  
circa sepul-  
turam igno-  
miniosam.*

Sunt & multæ erroneæ opiniones ex Papatu in fora Protestantium ecclesiastica traductæ circa sepulcrum ignominiosam & caninam. Communiter autochires tali canina sepultura notantur Carpz. d. l. def. 376. cuius rei duplex affertur ratio, partim vt alii a facinore eiusmodi deterreantur, partim vt ipsi autochires sic puniantur. Vtraque ratio parum quadrat, quin potius facile ostendi posset, si institutum pateretur, neutrum finem in præsentî negotio obtineri posse, adeoque rationes istas & principii prudentiæ legislatoriæ & doctrinis de finibus pœnarum esse aduersas. Nec difficile foret, ex Antiquitatibus historiæ Ecclesiasticæ deducere, interesse Cleri Pontificii, eiusque avaritiam, & hæredipedationes, primariam causam huius pœnæ esse. Inde persuasio, neminem posse beate mori, nisi curet accersi tempore mortis Clericum, quod cum omnino negligent autochires, eapropter in caduera sæuiendum fuit &c. Notantur insuper ignominiosa

miniosa sepultura impii, contemptores verbi diuini & sacramentorum Carpz. *d. l. def. 382.* Quam vero & hic excefferit Clerus Pontificius aut Papizans, & pro impiis ac contemptoribus verbi diuini habuerit viros piissimos & innocentissimos, Historia Ecclesiastica omnium seculorum testatur, etiam post reformationem. Notat denique Carpzouius *def. 383.* Catholicos, Caluianos, vel alii sectæ addictos in prouincijs Statuum Evangelicorum sepeliendos esse, omiſſis vel temperatis pro ratione circumſtantiarum ceremoniis conſuetis, id quod legibus imperii, præprimis autem Instrumento Pacis Caſareo-Suecico *art. 5. §. ſiue autem 34.* aduerſum eſſe iam oſtendit Illuſtris Dn. de Rhez *diſſ. de Iure Statuum Imperii circa ſacra c. 4. §. 15.* Igitur & hic multæ ſe offerent quæſtiones non parui momenti de iure Principis Evangelici circa ſepulturam ignominioſam, ſi aut tempus aut propoſitum eas diſcutere permitterent.

## §. X.

Diximus enim in titulo, nos acturos eſſe de Iure Principis circa ſolennia ſepulturæ, h. e. circa ſepulturam, quatenus diuiditur in ſolennem & minus ſolennem. Hanc autem eſſe ſubdiuiſionem ſepulturæ honeſtæ iam ſupra §. 3. docuimus. Cum autem ſolemnitates, i. e. ceremoniæ, pro diuerſitate locorum maximopere variare ſoleant, ad eo melius intelligendum, quænam ſepultura ſit ſolennis vel minus ſolennis, plurimum facit locus eiudem Carpzouii *d. deſin. 383. n. 5. & 8.* Honeſta i. e. ſolennis ſepultura communiter talis eſt, qua funus ad cæmeterium deducitur cum Pſalmodiis ſacris ad viuentium informationem & conſolationem, defuncti vero commendationem, præſentibus vero Eccleſiæ ac Scholæ miniſtris vna cum comitatu vicinorum, tactis que campanis ac præuia oratione funebri,

*Sed queri de Iure Principum circa ſolennia ſepulturæ.*

bri, additque defuncti encomio & laudatione cadauer terra mandatur. Pergit: Sunt hi ritus Christiani communiore, quibus in deductione funerum nobilium alii quandoque pecuniare pro loci consuetudine adduntur: Horum tamen inafficiens usus haud est, sed pro conditione ac statu defuncti ceremonia plures adhibentur vel omittuntur, relicto hac de re arbitrio Consistoriis ac Magistratui Ecclesiastico, vel saltem Ministerio, prout ex praecedentibus definitionibus manifestum.

## §. XI.

Item de iure  
Consiliario-  
rum Politi-  
corum supe-  
riorum Con-  
sistorio.

Et si vero Carpzovius hic aperte decisionem de augendis vel minuendis ceremoniis Consistoriis & Magistratui Ecclesiastico vel saltem Ministerio tribuat, iam supra tamen §. 6. notatum est, Carpzovium & alios iure consultos, qui similia docent, Consistoria & Ministerium non opponere ipsi Principi, sed subordinare, ita ut magis opponatur Magistratus Ecclesiasticus Magistratui Politico inferiori vel stricte sic dicto, aequè a Principe dependenti. Cum tamen eodem §. 6. Principi in oppositione ad Ministerium vel Magistratum Ecclesiasticum iunxerimus etiam Collegia Politica & Consiliarios politicos, atque his aequalem videamur tribuisse potestatem, inuito Clero definiendi solennia sepulturae, non putandum est, ac si & hoc modo contradicamus Carpzovio & ICTis similia docentibus. Scilicet Collegia Politica a Principe in Rep. ordinata vel sunt aequalia aut inferiora Consistoriis aut iis superiora. Intelligendus est Carpzovius de Magistratibus Consistorio inferioribus vel aequalibus, deque ea assertionem eiusque veritate non potest esse dubium, cum par in parem, multo magis inferior in superiorem non habeat imperium. Quod vero Magistratum Politicum Consistorio superiori attinet, eius longe alia est ratio. Ad hunc enim recte applicari possunt ea, quae alibi habet Carpzovius, videlicet aequi.

305. n. 1. Pie pariter & prudenter maxime commendatum sibi habent pii Magistratus Ius sepulture, Sanctionibus & Rescriptis eam promouentes: Quod tamen Subditi & Parochiani non semper grata mente agnoscunt, salutaribus sanctionibus parum obediētes, moramque iniiciētes, quo minus ad sepulturam mox deueniatur, quandoque etiam sub specie veri, Appellationis (aut Protestationis) remedio innitentes. Etsi enim Carpouius ibidem de alio casu, & de aliis hominibus Magistratui se opponentibus loquatur, eadem tamen subest ratio, si Consistoriales se Rescriptis Magistratus Politici superioris opponant, eique nolint esse obediētes. Est autem tale Collegium Consiliarium Politicorum Consistorio superius Consilium Principis Intimum, siue Princeps sit in Regno siue etiam extra Regnum suum degens, vices suas tali Collegio discrete commendauerit. Et solent eam ob causam apud principes Euangelicos ex Consiliariis eiusmodi intimis Præsides Consistoriorum communiter constitui. Cum itaque sanctius eiusmodi Consilium Principis personam magis immediate sustineat, quam Consistoria eidem inferiora, euident est, eadem quæ de iure Principis in oppositione ad Consistorium suum asserunt, adferenda quoque esse de Consilio eiusdem intimiori Politico.

## §. XII.

Queritur itaque: An Princeps Euangelicus aut eius Consilium sanctius vel etiam regimen Consistorio superius, inuitis quoque Consistorialibus vel Ministerio Ecclesiastico, iustis de Causis possit ceremonias in sepultura mortuorum honesta alias receptas vel augere vel minuire? Cum vero iam ad illam quaestionem succincte responderit Dn. Præsides *Inst. Iurispr. diuinae lib. 3. cap. 10. num. 22. & 23.* non inconsultum erit, eius verba apponere: In *Repub. Christiana*, ait, ad Principem pertinet, modum & ceremonias prescribere, in sepulturis adhiben-

Statu Con-  
trouersia  
cum respon-  
sione gene-  
rali.

hibendas, easque absque peccato mutare posse, quod non solum de legibus a Principe expresse latis intelligo, sed & de ceremoniis, moribus utentium & tacito principis consensu introductis. Quare siue diurno siue nocturno tempore, siue cum concionibus, siue absque iisdem, siue cum comitatu siue absque eodem cadaver terræ mandetur, legibus quidem divinis aduersum aliquid committi dici non poterit, si quis rationibus magis quam ex affectu velit differere. Ut autem omne dubium circa hanc responsionem tollatur, pauca quaedam adhuc monenda sunt, ad quatuor potissimum puncta respicientia. 1. Quod Princeps possit ordinare & mutare solennia sepultura. 2. Quod possit id facere etiam inuitis personis Ecclesiasticis. 3. Quod ius Principis exferat se tam in agendis quam minuendis ceremoniis. 4. Quanam esse possint iuste rationes, diminutionem potissimum ceremoniarum suadentes.

## §. XIII.

Posse Principem dispo-  
nere de ceremo-  
niis sepultu-  
ræ, siue se-  
pultura con-  
sideretur ut  
res Ecclesi-  
astica.

Posse Principem disponere de Ceremoniis Sepulturarum demonstratur tum ex natura Sepulture, tum ex natura Ceremoniarum. Sepulturam quod attinet, ea vel est res Ecclesiastica vel Politica. Esse rem Ecclesiasticam ex principiis Iuris Canonici iam supra notauimus §. 5. Quod, etsi indubie verum esset, tamen dispositio de illis radicaliter pertineret ad Principem Evangelicum, quia Princeps Evangelicus haud dubie ius habet circa sacra & res Ecclesiasticas; idque est nobilissimum eius regale, de quo, contra inuasionem subditorum tuendo maxime sollicitus esse debet. Notanter differit B. a Seckendorff im Deutschen Fürsten Staat. Part. 2. c. 17. §. 2. Die Landes-Fürsten des Protektirenden Theils haben so wol nach dem Grunde Göttlicher und Natürlicher, als auch nach Zulassung der üblichen Reichs-Rechte und Satzungen, nebst dem Weltlichen, auch das Geistliche Regiment, so weit einer Christlichen Obrigkeit zukommet, zu führen; Masson sie denn dieses, wie billig, seiner Vortrefflichkeit und

und Wichtigkeit nach, vor das größte Regal oder Obrigkeitlich  
 Recht halten und achten, und solches äußerlich zu behaupten, als  
 die Mittel und Wege brauchen, wie wir oben in weltlichen Regie-  
 rungs-Sachen, bey dem ersten Punct der Regierung, erzehlet.  
 Et Principes Euangelici tam intra quam extra Imperium  
 habent omnia iura Episcopalia, quæ apud Principes Catho-  
 licos Episcopis competunt, inter quæ per dicta §. 5.  
 haud dubie etiam est dispositio circa sepulturas. Carpz.  
*Intispr. Eccles. lib. 1. tit. 1. per integrum, potissimum defin. 10.*  
 Et quamuis communiter, Protestantes etiam, Theologi &  
 Iure-Consulti, in potestate Principis circa sacra distingue-  
 re soleant inter potestatem circa interna & externa & prio-  
 rem soli Ministerio vindicare, facile tamen patet, curam  
*Sepulturae* non ad potestatem circa interna sed *externa* per-  
 tinere, si quis saltem consideret ea, quæ illa de re differunt  
 par excellens Iure-Consultorum Lutheranorum *Zieglerus*  
 & *Brunnemannus*. Prior de Iuribus Maiestatis *lib. 1. cap. 13. §. 14.* Potestas hæc Ecclesiastica pro officii ratione, quod  
 hominibus circa sacra versantibus incumbit, duplex euadit.  
*Interna ecclesiastica, scilicet predicando & interpretando verbum*  
*diuinum, administrando sacramenta, remittendo & retinendo*  
*peccata &c.* Hæc circa Ecclesiastica quidem exercetur, non ta-  
 men ecclesiastica, sed modo quodam *Ciuili*, & absolutur ea potis-  
 simum Religionis in reipub. introductione, & alterius reforma-  
 tione vel erectione, Sacerdotum vel Personarum Ecclesiasticarum  
 constitutione & remotione, coercionem hæreticorum, hono-  
 rum Ecclesiasticorum administratione, Ceremoniarum dispo-  
 sitione, festorum indictione, conciliorum conuocatione, Eccle-  
 siæ defensione & rebus, eiusmodi aliis, quibus Ecclesiæ status cor-  
 rigitur aut retinetur. Posterior de Iure Eccles. *lib. 1. c. 2. §. 14.* Vt iterum obseruandum; Ecclesiastica munera esse duplicia:  
 alia formaliter tantum ad Ministrorum verbi diuini pertinent,

ut Ius docendi verbum Dei, absolvendi a peccatis, vel prohibendi a Sacramentis, vel ea dispensandi. Hæc formaliter pertinent ad personas Ecclesiasticas, hinc dogmatica potestas dicitur, obiective vero ad Magistratum. Alia vero munera formaliter etiam ad potestatem summam pertinent. Quæ Archi-episcoponica potestas dici solet; ut subortas in Religione contentiones decidere, Synodos convocare, Constitutiones Ecclesiasticas facere. Quod quamvis durum videatur aliquibus, attamen benignius indicabunt, si rem ipsam penitus inspexerint.

## §. XIV.

*sive sepultura, uti reuera est, consideretur, ut res mere politica.*

Cæterum, si fateri volumus, quod res est, nihil falsius, quam quod sepultura sit res sua natura Ecclesiastica, cuius cura ad ipsos Sacerdotes & Ministros Evangelicos ex natura sua pertineat. Pater id evidenter ex dictis §. 8. Traxit enim ad se Clerus Pontificius curam sepulturæ, postquam cœmeteria facta sunt pars accessoria templorum, & postquam homines superstitiosi in templis voluerunt sepeliri. Apud primos Christianos & fere apud Gentes omnes, sepultura minime tanquam pars cultus diuini consideratur, sed ut res mere Politica, uti etiam sua natura est. Er, (ne nobis obiicias, mores Gentium hic nihil probare, quia eæ videlicet destitutæ fuerint vera Religione,) tantum abest, ut secundum legem diuinam Mosaicam cura sepulturæ ad Sacerdotium pertineret, ut potius prohibitum fuerit & interdictum Sacerdotibus Iudaicis, ne se contaminarent per curam mortuorum, tanquam rem sanctitati ac dignitati & reuerentiæ sacerdotali minime convenientem *Leuit. XXI. v. 1. sq.* Spencer de *Legib. Mosaic. lib. 1. c. 7. sect. 3. §. 2.* Impertinens autem plane est, & nulla responsione dignum, quod Cardinalis Bellarminus *lib. 2. de beat. sanct. c. 3. apud. Besold. Op. Polit. d. P. s. l. 3. c. 2.* pro defendendis Romanæ Ecclesiæ moribus a lege ista diuina tam

enor-



enormiter recedentibus affert, *quasi scilicet non amplius morticina immonda sint ossa & cadauera piorum, vixote sacro Baptismo abluta, & ita salusifico Christi sanguine conspersa, cesaueritque adeo hac in parte Lenetica vetus lex &c.* Cum igitur cura rerum Politicarum haud dubie pertineat ad Principem, etiam sepultura cura ad Principem pertinebit.

## §. XV.

Facile quidem præuideo, quod assertio §. præcedentis multis de veritate suspecta futura sit, cum moribus communibus Protestantium materia sepultura ad Consistoria pertineat, Carpz. *lib. 1. def. 10.* in Consistoriis autem non tractari soleant negotia Politica sed Ecclesiastica. Sed ad hæc facile responderi potest, id vniuersaliter verum non esse. Nam tractantur etiam in Consistoriis Protestantium causæ matrimoniales, hævero natura sua minime sunt Ecclesiastica, sed mere Politica. Testis eam in rem omni exceptione maior est Lutherus in der Vorrede des Trau-Büchleins: So manches Land so manche Sitten, saget das gemeine Sprichwort. Demnach, weil Hochzeit und Ehestand ein weltlich Geschäfte ist, gebühret uns Geistlichen oder Kirchen-Dienern nichts darinnen zu ordnen oder regieren, sondern lassen einer jeglichen Stadt und Land hierinne ihren Brauch und Gewohnheit, wie sie gehen. Etliche führen die Braut zweymahl zur Kirchen, beyde des Abends und Morgends, etliche nur einmahl. Etliche verkündigen und bieten sie auf der Cangel auf zwey oder drey Wochen zuvor, solches alles und dergleichen, laß ich Herren und Rath schaffen und machen, wie sie wollen, es gebet mich nichts an. Aber so man von uns begehret, für der Kirchen, oder in der Kirchen, sie zu segnen, über sie zu beren, oder sie auch zu trauen, sind wir schuldig dasselbige zu thun. *Adde Ordin. Augst. Elect. Saxon. de Consist. Lips. & Witteb. tit. 1. Nach-*

*Cur tamen cura sepultura, tanquam rei suæ natura Politica, apud Principes Protestantæ tractetur in Consistoriis?*

dem in diesen beyden Consistorien nicht allein Gewissens-Sachen, sondern auch weltliche Zündel vorgebracht und verriethet werden müssen, so die Ehe-Sachen, der Kirchen- und Schuldiener Güter, Unterhaltung, Leben und Wandel der Lehrer und Zuhörer belangen, soll keines alleine mit Theologen oder Politischen Personen, sondern in gleicher Anzahl aus beyden Ständen, nemlich mit zweyen Gelehrten und Gottfürchtigen, aufrichtigen und Ehrbaren Theologen, desgleichen auch zweyen Politicis bestellet werden. Quod vero tales causæ, quæ plane spirituales non sunt, in Consistoriis Ecclesiasticis Principum Protestantium tractentur, ideo, factum est, quia causæ illæ apud Catholicos habentur pro Ecclesiasticis. Cum vero Principes Evangelici a tempore Reformationis illas causas ad se traxerint, ac in eorum terris per Instrumentum pacis Westphalicae iurisdictio papalis sic plane in illis causis suspensa, & vero post Reformationem vitæ fuerit, ut illæ causæ in peculiari aliquo Collegio tractentur, instituta fuere Consistoria, & illorum iurisdictioni omnes causæ, quæ in terris Principum Catholicorum sub prætextu, quod sint Spirituales, Episcopis vendicantur, sunt subiectæ, siue reuera Spirituales sint, siue mere Politicæ.

## §. XVI.

*Posse Principem dissonere de omnibus ceremoniis, ergo de ceremoniis sepultura.*

Venio ad naturam *ceremoniarum*, (vid. supra §. 13.) Omnes ceremoniæ ad Decorum pertinent. Decorum autem vel ex lege Diuina oritur, vel a voluntate hominum ortum ducit, & hoc posterius subiacet in Republ. arbitrio Principis. De ceremoniis sepulturarum, quales supra §. 10. descriptæ sunt, nullam Deus per modum legis vniuersalis præcepit, lex vero Mosaicæ ad nos non pertinet, præprimis quatenus est ceremonialis. Diferente beatus a Seckendorff *Part. 2. des Fürsten Staats c. 11. §. 6.* ad potestatem legislatariam Principis Evangelicæ etiam

iam curam harum ceremoniarum refert. Zum andern, daß durch die Kirchen Ordnungen der Obrigkeiten die äußerliche Umstände der Zeit, Orts, und der Masse und Weise, welche in Göttlich und Religions-Sachen zu halten, und sonderlich da solche Umstände in Gottes Wort nicht absonderlich oder unänderlich fürgeschrieben sind, geordnet werden, damit alles ehrlich und ordentlich, andächtig und fein zugehe. Zu solchem Ende dienen nun allerhand heilsame Puncten der Kirchen- und Landes-Ordnungen, als da sind, daß wir dieselbe summarisch begreifen, die Anordnung der Kirchen-Agenten, oder Ceremonien, wie es bey dem öffentlichen Gottes-Dienst, Predigt und Feyer der Sonn- und Fest-Tage, und bey Reichung der heiligen Sacramenten, der Tauffe und heiligen Abendmahls auch andern Christlichen Handlungen, als Hochzeiten und Begräbnißsen, auch Eröstung der Kranken und Sterbenden, vieler Umstände halben zu halten, zu welcher Zeit eines und anders geschehen, was vor Gebete, Gesänge, Vermahnungen, Anredungen darbey vorgehen sollen, was für Ceremonien mit Creuzen, Kleidungen, Lichten, Glocken-läuten, und dergleichen zu halten. Si ergo Princeps poterit de ceremoniis his omnibus instituendis disponere, poterit & easdem abrogare.

## §. XVII.

Iam paucis ostendendum, Principem Evangelicum etiam de ceremoniis & solennibus sepulturae posse disponere inuitis Consistorialibus & ministerio Ecclesiastico. Vbi quidem grauitur ob stare videntur ea, quae dicitur Carpozouius Iurispr. Eccl. lib. 2. def. 247. cuius ea est rubrica: Non consultis in Synodo verbi diuini Ministris, nec conuocatis Ecclesie Ordinibus suspicienda haud est a Principe & Magistratu mutatio vel abrogatio rituum Ecclesiasticorum. Sed salua res est. Nam Carpozouius vti saepe in Iurisprudentia Ecclesiastica euidenter papizat, secutus videlicet hypo-

Principem  
posse mutare  
ceremonias  
sepulturae et-  
iam inuito  
Consistorio  
& Ministe-  
rio Ecclesi-  
astico.

hypotheses enormiter papizantes Theologorum Saxonicorum, & præprimis Wittebergenſium, ita tota hac definitio, quanta quanta est, nihil ſolidi continet, ſed fundamentis inanibus eſt ſuperſtructa. Magis conformiter principiis rectæ rationis & Chriſtianiſimi genuini diſſerit immortale decus Iure Conſultorum Wittebergenſium Caſp. Ziglerus *de Iurib. Maiest. lib. 1. c. 17. §. 1.* Quomodo in cæteris ad externum ordinem, decorum & diſciplinam facientibus, Eccleſia gubernari debeat, cum diſtincte non præſcripſerit Deus, ſed ſuorum prudentia commiſerit, dubitari non debet, Reges & Principes fideles, utpote Eccleſie Nutritios & Patronos, magnam in iis habere poteſtatem. Ita uſus luminum, candidæ aut alterius veſtis in peragendis ſacris, ſigni crucis, exorcismi & ſimilium totus ſubiaceat arbitrio humano, quanquam ubi inueterate fuerint eiſmodi ceremonie, non facile illæ ſint mutandæ. Vbi tamen iuſta cauſa ſubeſt, & neceſſitas ſtatus Eccleſiaſtici id expoſcit, poterunt illæ introduci, aut abrogari, ex poteſtate Principis, & ſummo, quod tenet imperio. Imo licet Carpzouio ipſum opponere Carpzouium l. 3. def. 14. rectius dicentem, quod Conſistoria non poſſint inhibitiones aut præcepta decernere contra mandata Principis, & quod a Conſistoriis ad Principem concedatur appellatio. *Idem lib. 1. def. 12. n. 15.* videlicet quia Conſistoriorum delegata eſt Iuriſdictio *Brunnem. de Iure Eccleſ. l. 3. c. 10. §. 1.* Miniſtri vero Eccleſiæ nullam habent iuriſdictionem, ſed ſunt meri ſubditi, quibus gloria parendi eſt relicta in iis, quæ non ſunt legibus diuinis aduerſa. *Confer. idem Carpz. lib. 3. def. 3. n. 5. ſeq.*

## §. XVIII.

Et quis dubitet, Principem poſſe inuito Conſistorio quid mutare circa ceremonias ſepulturæ, cum totum Conſistorium dependeat ad eius arbitrio, ita vt, niſi pacta cum ſubditis vel ſimile quid obſtent, poſſit id abrogare

Præprimis  
cum totum  
conſistorium  
abrogare  
poſſit.

gare & decisionem causarum Ecclesiasticarum solis Politicis demandare. Etsi enim Status Euangelici plerique non sine ratione Consistoria instituerint Carpzovius l. 3. def. 1. n. 7. seq. Nemo tamen tam temerarius erit, qui asserere ausit, hoc absolute fuisse necessarium. Agnovit id B. Brunnemannus l. 3. c. 1. §. 3. Sane, ait, ubi Consistoria non constituta, ibi coram superiore, scilicet Principe vel Statu Imperii in supremo eius tribunali vel iudicio cause Ecclesiasticæ ventilantur, ut late deducit Dn. Meus. p. 3. Dec. 415. Ad quæ eius verba illustri Strykius sic commentatur: Solos Laicos Personam Episcopi aque ex delegatione presentare posse, tradit Cass. Ziegl. ad Prax. Caluol. §. Landsaffi Concl. 1. n. 180. Bertram. de Pac. Religios. Concl. 60. Imo in quibusdam locis, ubi plane non est Consistorium, lites & cause, vult Ecclesiasticæ, in iudicet in Cancellariis expediuntur, in subscriptione tamen exprimi solet interdum nomen deputatorum ad causas Consistoriales vid. Laur. Ohm. de iure Episc. Concl. 16. lib. 1. de quo Auctor §. seq. Sic in specie Hamburgi hæcenus Consistorium nullum a Senatu constitutum, sed si cause quedam Ecclesiasticæ occurrant, que inquisitionem vel decisionem requirant, speciatim aliqui ex Senatu ad alium causarum discussionem deputantur. Conferantur, quæ de Laicis dicta l. 1. c. 2. §. 25. Dixerat autem ibidem Beatus Auctor: Non solis Theologis Spiritus S. dona concessa, sed & Laicis debita pietate Deum colentibus. Imo, uti omnibus scrutatio Scripturarum iniuncta, ita & Laicis quoque non denegabit Deus gratiam suam, veritatem Dogmatum diuinorum percipiendi & cognoscendi. Et omnino fecem Pontificiam reuollet, quod sibi solis arrogare interdum velint Theologi cognitionem veritatis, Politicis vero, quippe qui secundum Pontificiorum mores ne legere quidem S. Scripturam debebant, eam denegare. Adde, quod nec Noribergæ Consistorium sit, sed Magistratus Politicus ibidem solus causas Ecclesiasticas definiat, quod erudite defendit Dn. Christophorus Scheurl a Defersdorf in

D

Dissert.

*Dissert. anno 90. Altdorff. sub praesidio B. Henrici Linckij habita, de iudiciis Reip. Norib. c. 2. §. 11. 12. 13.*

## §. XIX.

*Hic tamen  
duo vitanda  
esse extrema,  
vnum, ne pu-  
temus, Consi-  
storia esse in-  
utilia, aut in-  
distinguite ab-  
rogari debe-  
re.*

Ne tamen hic quis nos calumnietur, ac si simus oso-  
res Ministerii & Consistorii, notandum est, duo hic extre-  
ma esse vitanda, vnum, ne putemus, Consistoriorum insti-  
tutionem esse rem plane inutilem aut reip. damnosam, &  
dandam esse operam Statibus Imperii aut etiam aliis Prin-  
cipibus Evangelicis, vt Consistoria instituta rursus abro-  
gent. Absit. Sapienter fecerunt Principes, qui Consistoria  
introduxerunt, praepriis primis temporibus, & suas  
haud dubie habuerunt rationes graues, quae & facile re-  
censeri possent, si ex instituto nobis liceret esse prolixio-  
ribus. Nec suadendum esse Principibus, vt Consistoria  
iam introducta abrogent, etiamsi quandoque haec pote-  
state sua abutantur. Omnis mutatio est periculosa. Et  
saepe vera ac pia ratio status suadet, tolerare abusum. Ad-  
de, quod infinita sint media abusum abrogandi, salua re  
ipsa, quae omnia viri Aulici & Politici melius norunt re-  
censere & applicare, quam homines Scholaistici & Profes-  
sores Academici.

## §. XX.

*Alterum ne  
potestatem  
Consistorio-  
rum nimis  
extollamus  
supra Princi-  
pem, aut eo-  
rum necessi-  
tatem nobis  
persuadea-  
mus.*

Sed tamen nec ex altera parte putandum est, Consi-  
stistoriorum tantam esse necessitatem, vt respubl. Chri-  
stiana sine iisdem non possit bene subsistere, & peccare  
adeo Principes, vel Status Imperii alios, qui Iura Episcopa-  
lia per meros Politicos absque Consistoriis exercent, vel  
etiam, (si casus tales obuenirent,) qui Consistoria sua ex  
grauibus causis, (quarum determinatio & arbitrium quo-  
que ipsi Principi est relinquendum) vellont abrogare, aut  
abusum saltem quosdam Consistoriorum & Ministerio-  
rum per Politicos, inuitis, vel etiam, pro ratione iustarum  
circumstantiarum, inconsultis Theologis & Ministris ver-  
bi,

bi, coërcere. Floruit Hamburgum sine Consistorio, quamdiu Cleri potestatem debite limitauit. Floret Noriberga, & florebit, quamdiu Ministros verbi venerabitur, sed tamen vt subditos tractabit; neque propterea desinunt esse Status <sup>synodus</sup> Evangelici aut Lutherani, quod Consistoria non habeant. (Quamuis eam meditationem obiter relinquamus sagacioribus, cur non facile inueniatur Princeps Euangelicus Consistorio destitutus, sed vbi consistoria deficiunt, vel Aristocratia obrineat, vel certe regimen modo administrandi Aristocratico valde temperatum. Possimus equidem, si scrinia pectoris nostri excutere vellemus, plures hic suppeditare rationes politicas, sed relinquimus tamen eas Politicis Aulicis, probe gnari, quod studiosi sapientiæ tacere debeant Arcana Principum, & multa scire ac cogitare, quæ non decet dicere vel scribere.) Præterea nihil est tam naturale, quam vt aliquid eodem modo solvatur, quo fuit constitutum. Præclare Meuius *Part. III. dec. 415.* docuit, deficiente Consistorio, causas Ecclesiasticas recte a Tribunali Regio iudicari; nec interesse, vbi de iis iudicetur, dummodo adhibeantur ad iudicium apti: imo necessarium esse, vt Ecclesiastici non soli seculares iudicent. &c. Vbi etiam memorat, S. Regiam Maiestatem Sueciæ istam doctrinam approbasse &c.

## §. XXI.

Vti vero nemo siue Politicus, siue Thologus, quod *posterius extremum a* sciam, deprehenditur, qui priorem errorem hucusque *Theologis* errauerit, aut ad scyllam illam doctrina sua incidere, *Crypto-Papists in Iuris prudentiam* ita dolendum & contrario est, quod, dum multi ex nostratibus eam euitare intenderunt, inciderint in charyb- *Ecclesiasticam esse in-* din, seu alterum extremum, cuius rei ratio videretur esse, *troductum.* quod ICTi quidam incautiores exserpserint absque iudicio Theologos quosdam, Lutheranos nomine, reue-

ra autem Crypto-Papistas, saltem quoad articulum fundamentalem Papismi, quod Papa sit caput Ecclesiae & Clerus emineat Laicos. Dabimus solum speciminis loco excerpta nonnulla ex autoribus §. 1. citatis. Ita Weberus in tractatu de Consistoriis c. 5. non humanam saltem sed diuinam vult esse originem Consistorii, c. 17. prolixè refutare intendit eos, qui statuunt, solos & meros Laicos Episcopum ex delegatione representare posse, h. e. Episcopalem Audientiam, ex meris ac puris Laicis seu secularibus personis posse confieri ac constare; Cap. 27. sect. 4. defendit, quod magistratus Politicus non possit abrogare ceremonias, & Theologos Saxonicos, in materia Exorcismi Principi se opposcentes, vt constantes prædicat. Eod. cap. sect. 18. p. m. 328. edit. Frisch. putat, eos in defectu peccare, & esse Cacopoliticos, qui putent, omnem curam & censuram rerum & causarum matrimonialium soli curiæ ciuili esse reseruandam, eosque iterum, quamuis miserrime, refutare nititur &c. Adhuc impudentior Hauemannus de iure Episcopali defendit tit. 11. Adiaphora non posse abrogari aut institui per solum Principem: Tit. 13. Solum Magistratum non posse esse iudicem in causis matrimonialibus: si in abstrusiori casu matrimoniali votorum sit diuortium, casum illum ad celebre Consistorium mittendum esse, non autem ad Facultatem aliquam Iuridicam, vtpote quod fieri quidem soleat, sed pessime: Causas matrimoniales in Consistorio ventilatas non posse auocari in forum mere ciuile per viam appellationis: Tit. 14. mirum esse, reperiri hominem inter homines, qui sibi & aliis conetur persuadere, aliter Iurisdictionem Ecclesiasticam exerceri posse, nimirum extra Consistorium in Curia: In Appendice: Magistratum Politicum non posse bona Ecclesiastica alienare, & in humanos vsus mutare: ybi p. 445. inter



ter alia argumentatur: Iure Canonico ad alienationem bonorum Ecclesiæ requiri consensum Cleri. In Ecclesiis autem Euangelicis Ministros Ecclesiæ successisse in locum Clericorum: Ergo &c. Hosce doctores secutus Mylerus ab Ehrenbach *in Gamol. Princ. Imp. c. 8. §. 6. 7. 8. 9.* docet: Principem, si vxorem ducere velit, cuius coniugium lege humana interdictum sit, adire debere proprium Consistorium, aut insignem facultatem Theologicam, an tale matrimonium illaesa conscientia inire possit, nec ne? Status Imperii non posse causas a Consistoriis auocare, quia Consistorium totum Presbyterium Ecclesiæ representat, & quia iure Canonico dispositum sit, si Episcopus Collegio aut Archidiacono iurisdictionem Ecclesiasticam mandauerit, quod eundem in exercitio impedire vel auocare nequeat, cum iurisdictione sua se abdicauerit: Principem territorii non omnino & absolute esse supra Presbyterium, sed membrum eiusdem, in quo in causis Spiritualibus æque a corpore dirigatur, illudue audire teneatur instar alterius priuati subiecti &c. Talia multa etiam apud Carpzouium & alibiprehenduntur.

## §. XXII.

Sed ista quidem vt distinctius discutiantur, requirunt peculiarem discursum. Interim dolendum, quod ICTI Protestantes non citius malo huic Crypto-Papistico se opposuerint, simul tamen gaudendum, quod his temporibus passim Politici capita sua erigere incipiant, & eorum liberatio a iugo hoc appropinquet. Nos interim istis nihil aliud opponimus, quam auctoritatem Herois diuini Martini Lutheri, & Augustanæ Confessionis. Lutherus *tom. 1. Ienens. Germ. f. 237.* *Ihr seyds nicht allein liebe Herren, welche mit den Ehe-Sachen viel Mühe haben, es gehet den andern auch also; so habe ich selbst auch alle Plage damit,*

*Qui breuiter  
reputantur  
ex Luthero,  
Augustanæ  
Confessione  
& propriis  
sententiis.*

mit, ich wehre mich fest, ruffe und schreye, man solte solche Sa-  
 chen der weltlichen Obrigkeit lassen, und wie Christus spricht,  
 die Todten lassen ihre Todten begraben, Gilt gebe, sie machens  
 recht oder unrecht, denn wir sollen ja Diener Christi seyn, daß  
 ist, mit dem Evangelio und Gewissen umgehen, damit wir auch  
 übrig genug zu thun hätten wieder den Teuffel, Welt und Fleisch.  
 Et in libro von Ehe-Sachen. Wenn wir (Geistliche) begin-  
 nen, Richter in Ehe-Sachen zu werden, so hat uns das Camp-  
 rath bey einem Ermel ergriffen, und wird uns fortreißen, daß  
 wir müssen über die Straffe richten, so müssen wir auch über  
 Leib und Gut richten, da sind wir denn unter dem Rade, und  
 ersauften im Wasser des weltlichen Handels. *August. Confess.*  
*Cap. ult. de potestate Ecclesiastica: Sic autem sentiunt, potes-*  
*statem clauium seu potestatem Episcoporum iuxta Euan-*  
*gelium potestatem esse seu mandatum Dei predicandi*  
*Euangelii, remittendi & retinendi peccata, & admini-*  
*strandis Sacramenta &c. Hec potestas tantum exer-*  
*cetur docendo seu predicando verbum & porrigendo sacra-*  
*menta &c. Itaque cum potestas Ecclesiastica concedat res eter-*  
*nas &c. non impedit Politicam administrationem, sicut ars ca-*  
*nendi non impedit politicam administrationem. Nam Politi-*  
*ca administratio versatur circa alias res quam Euangelium*  
*&c. Non igitur commiscenda sunt potestates Ecclesiastica & ci-*  
*uilibus. Ecclesiastica suum mandatum habet Euangelii docendi*  
*& administrandi Sacramenta. Non irrumpat in alienum of-*  
*ficium, non transferat regna mundi, non abroget leges Ma-*  
*gistratum, non tollat legitimam obedientiam, non im-*  
*pediat iudicia de vllis ciuilibus ordinationibus aut con-*  
*tractibus, non praescribat leges magistratibus de forma*  
*reipubl. Sicut Christus: Regnum meum non est de hoc mun-*  
*do. Item: Quis constituit me iudicem aut diuisorem super*  
*vos? Et Paulus ait Phil, 3. Nostra Politia in caelis est. 2.*  
*Cor. 10. Arma militiae nostrae non sunt carnalia, sed potentia*  
*Dei ad destruendas cogitationes, &c. Ad hunc modum discer-*  
*nunt*

nunt nostri utriusque potestatis officia, & in bent utramque ho-  
 nore officere & agnoscere, utramque Dei donum & beneficium  
 esse &c. Cum igitur de iurisdictione Episcoporum quaritur,  
 discerni debet imperium ab Ecclesiastica iurisdictione. Porro  
 secundum Evangelium, seu ut loquuntur, de iure divino,  
 nulla iurisdictione competit Episcopis, ut Episcopis, h. e.  
 his, quibus est commissum ministerium verbi & Sacramenta-  
 rum, nisi remittere peccata. Item cognoscere doctrinam, &  
 doctrinam ab Evangelio dissentientem reiucere, & impios, quo-  
 rum nota est impietas, excludere a communione Ecclesie, sine  
 vi humana, sed verbo &c. Si quam habent aliam vel po-  
 testatem vel iurisdictionem in cognoscendis certis causis, vi-  
 delicet matrimonii, aut decimarum &c. hanc habent hu-  
 mano iure &c. Præter hæc disputatur, utrum Episcopi seu  
 Pastores habeant ius instituendi ceremonias in Ecclesia, &  
 leges de cibis, feriis, gradibus ministrorum, seu ordinibus &c.  
 condendi &c. Sed de hac questione nostri sic docent, quod epi-  
 scopi non habent potestatem statuendi aliquid contra Euangeli-  
 um, ut supra offensum est &c. Vnde habent ius Episcopi has  
 traditiones imponendi Ecclesiis, ad illaqueandas conscientias?  
 &c. Quid igitur sentiendum est de die Dominico, & similibus  
 ritibus templorum? Ad hæc respondent, quod liceat Episcopis  
 seu pastoribus facere ordinationes, ut res ordine gerantur in Ec-  
 clesia, non ut per illas mereamur gratiam, aut satisfaciamus  
 pro peccatis, aut obligentur conscientie, ut iudicent esse  
 necessarios cultus, ac sentiant se peccare, cum sine of-  
 fensione aliorum violant &c. Tales ordinationes conuenit  
 Ecclesiis propter caritatem & tranquillitatem seruare eatenus,  
 ne alius alium offendat, ut ordine & sine tumultu omnia fiant  
 in Ecclesiis. Verum ita, ne conscientie onerentur, ut du-  
 cant res esse necessarias ad salutem, ac iudicent se pecca-  
 re, cum violant eas sine aliorum offensione, sicut nemo  
 dixerit, peccare mulierem, quæ in publico non velato capite  
 proce-

procedit, sine offensione hominum. Talis est observatio diei Dominici, Paschatis, Pentecostes & similium feriarum & rituum. Nam qui iudicant, Ecclesie auctoritate, pro Sabbato institutam esse diei Dominici observacionem, tanquam necessariam, longe errant. Scriptura abrogavit Sabbatum, quae docet, omnes ceremonias Mosaicas post reuelatum Euangelium omitti posse. Et tamen, quia opus erat, constituere certum diem, ut sciret populus, quando convenire deberet, apparet Ecclesiam ei rei destinasse diem Dominicum, qui ob hanc quoque causam videtur magis placuisse, ut haberent homines exemplum Christiana libertatis, & scient, nec Sabbati nec alterius diei observacionem necessariam esse. Extant prodigiosa disputationes de mutatione legis, de ceremoniis novae legis, de mutatione Sabbati, quae omnes orta sunt ex falsa persuasione, quod oporteat in Ecclesia cultum esse similem Levitico. Et quod Christus commiserit Apostolis & Episcopis excogitare novas ceremonias, quae sint ad salutem necessaria. Hi errores serpserrunt in Ecclesiam, cum iustitia fidei non satis clare doceretur. Aliqui disputant, diei dominici observacionem non quidem iuris divini esse, sed quasi iuris divini, praescribunt de feriis, quantum licet onerare. Huiusmodi disputationes quid sunt aliud nisi laquei Conscientiarum? Quanquam enim conentur excusare traditiones, tamen nunquam potest aequitas deprehendi, donec manet opinio necessitatis, quam manere necesse est, ubi ignorantur iustitia fidei & libertas Christiana &c. Docuerunt ista liberrime Confessores de die Dominico, de festo Pascharum &c. quid putas eos dicturos fuisse de ritibus sepulchrorum & de iurisdictione Consistoriorum, si tum fuissent? Possent etiam ista dogmata Crypto-Papistica ex ipsis Auctoribus, qui haec docent refutari. Ita cum Haemannus dicit, ministros Ecclesiae successisse in iura Clerici Pontificii, elegans est locus apud eundem de Iure Episcopali Tit. 1. §. 2. in contrarium. Sponte igitur sequetur firmissima

missima conclusio, quæ instar muri Semiramidis stabit; videlicet: Omnes genuinos Christianos esse Clericos. Quia itaque fronte ac mente suos rasos, oleoque Mercurii satis volatili inunctos sanctulos vocent Clericos, quos Papistæ a Laicis distinguunt, ipsi viderint, omnibus adhibitis perspicillis ac tubis optictis, quorum inuentione gloriatur Italia. Perlustrent his adornatis vitris omnes famulos ipsos tredecim Noui Testamenti locos, in quibus vox *ἐπίσκοπος* legitur, & dispiciant, an vno ex istis omnibus suum commentum possint statuminare, tunc fortasse, quando  
Cum canibus timida venient ad pocula Dama.

## §. XXIII.

Vitio autem nobis nemo vertet, quod in §. præced. locum Augustanæ Confessionis paulo prolixius excerpturimus, inseruiet enim idem ad illustranda ea, qui nunc dicemus. Nimirum, postquam adstruximus Principi potestatem circa ceremonias sepulturæ, iam eandem ampliamus, vt valeat ex rationibus iustis, tam in augendis ceremoniis, quam minuendis, seu mutandis, ita tamen vt inter hæc duo sit ingens differentia. Possit Principem decori ordinis causâ instituire & augere ceremonias sepulturæ, non quidem diffitendum est. Sed magis tamen Princeps Euangelicus operam dare debet, vt minuantur ceremoniæ, quam vt augeantur, partim quia augmenta ceremoniarum magis sapiunt cultum Mosaicum antiqui fœderis, quam Religionem planam & simplicem Christianæ libertatis noui fœderis; partim quia cum augmento ceremoniarum facilius coniuncta esse solet persuasio illa in Augustana Confessione tam ferio impugnata, de necessitate ceremoniarum, ex diminutione autem perspicue apparet vsus Christianæ libertatis, & declaratio ipso facto testata, quod non putemus eiusmodi ceremonias aliquid facere ad salutem. Quoniam tamen ipsæ ceremoniæ tales omnes in se sunt adiaphoræ,

Principem  
Euangelicum  
proniam  
esse debere  
ad minuendas  
ceremonias  
sepulturæ,  
quam ad  
augendas.

E

operam

operam dabit Princeps Euangelicus, vt, quemadmodum non facile iubebit ceremonias nouas sub pœna obseruari, ne onerentur conscientia imbecillium, ita nec facile in diminutione in vniuersum prohibeat ceremonias non aperte idololatricas, ne iterum conscientia imbecilles, etsi erronea, arbitrentur, & sic libertatem Christianam sibi adimi; sed mediam obseruando viam indulgebit quidem aliquando augmenta ceremoniarum certis ex causis fieri, facilius autem erit in permittenda diminutione ceremoniarum, eosque qui diminutioni eiusmodi dant operam, aduersus illos qui eidem resistunt, seuere tuebitur, ac resistentes etiam, si pertinaces sint, debitis pœnis coërcebit, tanquam tales homines, qui contra Augustanae Confessionis articulum §. *preced.* descriptum non solum onerare libertatem Christianam velint, & Papisinum occulte, aut etiam satis sensibilibiter in Ecclesias iterum introducere, sed &, qui nitantur legitimam obedientiam Magistratui Politico debitam tollere, & eidem de forma Reipubl. leges præscribere. Igitur recte ex dictis inferimus, Principes Euangelicos etiam in ceremoniis sepulturarum proniores esse debere ad minuenda solennia, quam ad augenda eadem. Pulcre confirmantur dicta per alium egregium locum Apologiae Aug. Confessionis circa finem: *Traditiones non debent laqueos iniicere conscientiis, tanquam præcipiant necessarios cultus, sicut Paulus docet, cum ait: In libertate, qua Christus nos liberauit, stete, nec iterum iugo seruitutis subiiciamini. Oportet igitur liberum usum talium ordinationum relinqui, modo ut scandala vitentur, ne iudicentur, esse cultus necessarii, sicut pleræque ordinauerunt ipsi Apostoli, quæ tempore mutata sunt. Neque ita tradiderunt, ut mutare non liceret. Non enim dissentiebant a suis scriptis, in quibus magnopere laborant, ne Ecclesiam opprimat opinio, quod ritus humani sint necessarii cultus.*

## §. XXIV.

Quæ cum euentissima sint, mirandum est, qui fiat, vt communis praxis in Ecclesiis quibusdam Euangelicis plane inclinet in partem aduersam. Sane vt rem exemplo saltem ad præsentem materiam pertinente illustremus, si Princeps ceremonias augeat, apparent rari, qui hic quid moneant, & non potius Principem tanquam Principem pium & alterum Constantinum Magnum adulatoriis maxime laudibus in cœlum extollant; At si Princeps in ordinationibus Politicis noxium Reipublicæ ceremoniarum luxum prohibeat, nemo est, qui subditos legi Politicæ non parentes ad obsequium adhortetur, quin potius frequentissima sunt exempla, quod subditi in renitentia sua vel maxime per taciturnitatem Doctorum, sæpe etiam per laudationem & commendationem eorum, qui legibus non obtemperant, tanquam hominum piorum, & qui curam gerant piarum causarum, corroborentur. Quid? quod non infrequens sit, quod aperte se Principibus opponant Consistoriales & Ministri verbi, quando Princeps vult saltem per dispensationem minuire ceremonias Sepulturarum. Sed desine mirari, & causam huius mali saltem respice. Seminavit Augustana Confessio & eius Apologia semen bonum in doctrina de Magistratu Politico & Ceremoniis; Sed cum Principes & Politici dormirent, venit hostis, id est, Clerus Cryptopapisticus sub larua Theologorum Euangelicorum & seminavit Zizania. Orta enim est alia progenies Doctorum, quæ ex infesto odio erga alteram partem Protestantium, paucioribus ceremoniis Ecclesiasticis vntium, novos fidei articulos effabricauit, ac Principibus quibusdam eorum receptionem & authorisationem subdole persuasit. Atque hi, vt in aliis articulis turbas ingentes mouerunt, & bellorum maxime cruentorum causâ fuerunt,

*Sententiam aduersam sapere Cryptopapismum & originem debere nouioribus Theologis.*

runt, ita & in doctrina de potestate Principis circa ceremonias Papisimum iterum incrustare & regalia Principis inuolare maximo annisi sunt opere. Rem paucis sic cape. Docuerat Augustana Confessio & Apologia in locis §. *praeced.* exceptis, quod ceremoniarum non sint necessariae, nec debeant onerare conscientias, adeoque, aduersus Papisimum libertatem Christianam vindicauerunt: Docet Paulus & Acta Apostolorum, quod Apostoli hanc libertatem vindicauerint aduersus Pseudo-Apostolos, iugum imponere volentes Fratribus per ceremoniam Circumcisionis: Et igitur in Sacris literis sunt Pseudo-Apostoli, qui ceremonias augent cum persuasione necessitatis, non qui minuunt, & de illis praedicant Apostoli, quod eis ne latum unguem quidem cedere voluerint. At vero quando agitur de omissione facti alicuius in se liberi, qualis etiam est diminutio ceremoniarum in fauorem fratrum infirmorum, Paulus hoc opus commendat tanquam opus charitatis, & sunt adeo fratres infirmi, qui scandalum sumunt ex facto nostro positio, non ex omissione facti nostri. Haec omnia vero confunduntur ab istis Autoribus, dum quaestiones duae distinctae de augmento & diminutione ceremoniarum, de facto in se licito committendo aut omitiendo &c. confusissime tractantur, & quae scriptura de libertate Christiana in omitendis ceremoniis docet, torquentur ad augendas & retinendas ceremonias: Ex Pseudo-Apostolis faciunt fratres infirmos & ex fratribus infirmis Pseudo-Apostolos &c. neque etiam ipsas res licitas & Adiaphora accurate definiunt, & omnia agunt, vt defendantur, (etsi verbis obscuris & ambiguis) augmenta & retentio ceremoniarum inutilium, diminutio autem & ommissio earum impugnetur & damnetur, & sic Principi Euangelico manus ligentur, ne emendatione & diminutione ceremoniarum quid inuitis Theologis & Consistoriis facere possit. Legantur

tur



tur *Epitome Articularum, & Repetitio ac declaratio eorundem tit. 10. de ceremoniis Ecclesiasticis pag. m. 614 seq. & pag. 789. seq. & deprehendes, nos veritatem dixisse. Præprimis autem notetur a Principibus & Magistratu Politico, quod damnent in d. tit. 10. Epit. n. 4. p. m. 616. tanquam falsum & contrarium verbo Dei dogma, cum externa Ceremonia, quæ indifferentes sunt, ea opinione abrogantur, ac si Ecclesiæ Dei liberum non sit, pro re nata, ut indicauerit, ad adificationem utile esse, hanc vel illam ceremoniam ratione libertatis Christianæ usurpare. Et in Repetitione ibid. n. 5. p. 797. Reiicimus & damnamus etiam eorum intemperiam, qui adia-phora ea opinione abrogant, quasi Ecclesiæ DEI non esset liberum, (quouis loco aut Tempore,) pro re nata & Ecclesiæ utilitate unum vel plura adia-phora recipere & pro ratione libertatis Christianæ usurpare. Etsi enim Principum hic non fiat diserta mentio, sed visum fuerit haud dubie incautis Principibus, quasi sub nomine Ecclesiæ ipsimet tanquam membra Ecclesiæ præcipua continentur, res ipsa tamen & praxis loquitur, quod per Ecclesiam intelligant personas Ecclesiasticas vel Consistoriales in oppositione ad Principem, & per eos, quorum intemperiam notant, ipsos Principes & eorum Ministros Politicos. Ita docuerunt Wittebergen-ses ex hoc titulo, non posse Principes sine crimine Apostasiæ prohibere, ut in cantione Erhalte uns Herr bey deinem Wort, non canatur und fleur des Papis und Türken Word. *vid. Consil. Witteb. Part. 1. fol. 228. 233. & 236.* Cum tamen hæc res sit plane adia-phora, *vid. Dn. Præsid. Dissertat. de iure Principis circa adia-phora c. 1. §. 11.* Ita de Exorcismo, re adia-phora, simile consilium legitur ap. Dedekenum *Part. 2. Tit. 5.* Principi non esse parendum, si velit Pastorem refractarium, ob usurpationem exorcismi remouere, sed Ministerium & Status*

Prouinciales tantum non per apertam rebellionem debere Principi resistere. *Conf. diēt. Dissertat. c. 2. §. 1.* Et notum est, publice a talibus Papizantibus Doctoribus doceri, rem adiaphoram definere esse adiaphoram, si Princeps quid iure Imperii mutare velit; quo magis iniurium quid in iura Maiestatica Principis nemo facile cogitare potest. Tales igitur hypothefes & doctrinas Papisticas si admittat Princeps, ex iisdem etiam periculum subibit amittendi ius disponendi de solennibus sepulturæ & ceremonias inutiles abrogandi.

## §. XXV.

*Rationes suadentes Principi mutationem solennem sepulturæ.*

Etenim, inquit, etsi concederemus in genere Principem non esse plane remouendum a mutatione solennitatum sepulturæ, eiusmodi tamen mutatio non introducenda, si Ecclesiæ utilitas id non suadeat. At de eo, quod Ecclesiæ utile sit, non Princeps iudicabit, sed ipsa Ecclesia per principia illa nouorum Theologorum §. *præced.* recensita. Sed respondemus, & hoc sapere Papismum, & aduersari principii religionis Euangelicæ. Soli Principi competit iudicare de utilitate totius Reipubl. At Respubl. non est in Ecclesia, sed Ecclesia in republ. Et omnia membra Ecclesiæ, tam Doctores quam Auditores, sunt etiam membra Reipublicæ, & quidem, qua principi opponuntur, non imperantia sed parentia. Vti igitur pro diuersitate circumstantiarum aliquando oriri possunt variæ rationes, quæ suadeant, quamuis rarius augendas esse ceremonias sepulturæ, ita longe plures & frequentiores se offerent circumstantiæ, quæ principem & Magistratum Politicum urgeant, vt minuat easdem, puta, ambitio, luxus, superstitio, auaritia Cleri, scandala ex adulatoriis concionibus funebribus orta, denique

que ipsa defensio iurium Principis aduersus opiniones papizantes hactenus notatas &c.

## §. XXVI.

Ac sufficere quidem hactenus dicta poterunt pro confirmanda sententia, quod Principi Euangelico ius comperat disponendi de solennibus sepulturæ, præprijis, cum nemini, qui non iam præiudiciis erroneis est occæcatus, ea de re possit esse dubium. Iam audiatur & altera pars. Ac ne cum turba nobis res sit, dabimus ei Aduocatos, & quos alios, quam qui anno præcedente in Regno quodam Euangelico fluctus mouerunt in simpulo, & Regimini Politico Potentissimi cuiusdam Regis, indulgenti viduæ cuidam, vt maritus eius sine pompa & concione funebri sepeliretur, variis factis & in scripto se opposuerunt. Recensēbimus eorum verba, prout eadem ad nos transmissa sunt. Dicunt: *Se Committere haud potuisse, vt non breuissimis indicarent, cuius natura sint eiusmodi clandestine Sepulture, & qua periculose consequentia inde oriantur.* 1. Enim eas aduersari directe verbo & mandato summi Numinis, præcipienti, vt quilibet mortuos suos honeste sepeliat, Syr. 38. 16. 2. Repugnare eadem benedictioni, quam Dominus Deus piis promiserit Gen. 15. 15. 1. Reg. 14. 13. 3. Sepulturas eiusmodi esse penam, qua Deus minatus sit, sepulturum esse viam impiam, Ierem. 22. 4. Aduersari eas exemplis Sanctorum iam in veteri quam in nouo fædere. Quamuis enim exemplum Tobia a nonnullis iam adducatur, probe tamen obseruandum: Iudeos vna cum Tobia a Rege Ninuitarum in captiuitatem fuisse tunc temporis abductos, & tempore vlturium nocturno vel cum caliginosum esset, occisos esse, nemine corpora instar bestiarum habita operiente. Quapropter ea Tobiam terræ mandasse clam quidem, & prout in perfectione ista fieri posset, handquaquam vero ad votum suum & more Iudeorum. Vtpote quos Rabbini perhibeant tanti sepultu-  
ram

*Rationes fontentia aduersæ Principi adimonis ius disponendi de ceremoniis sepulturæ.*

ram fecisse, ut defunctorum suorum absque ceremoniis funebribus terræ tradiderint neminem. Ita namque propria ipsorum verba sonare: Non sit funus in Israel sine sermone Prophetarum, nec ullum discrimen apparet inter diuites & pauperes. 5. Eiusmodi clandestinas sepulturas ceremoniis a pura Lutherana Ecclesia vnanimiter receptis aduersas esse. Quæ ceremonia vti Lutherana Religionis & Ecclesie propugnacula sint, ita timendum esse, ne si illa oppugnarentur, occuparenturque, ipsam munimentum, (quod procul Deus abesse iubeat) in manus & potestatem hostium perueniatur sit. Quod toti igitur Ecclesie competat, priuati alicuius potestate vel singularitate mutari minime posse. Ita enim Ordinationem Ecclesiasticam dictare. Ceremonia Christiana, quæ hucusque in cœtibus nostris in vsu fuerunt & adhuc sunt, licet sua natura arbitrariae sint, nihil ad salutem facientes, ad bonum tamen ordinem cum conducant, porro retinebuntur nec vlli permissum erit, earum quidquam pro lubitu immutare 6. Confusionem & quasi Syncretisimum inter nos Lutheranos & peregrina Religioni addictos per sepulturas clandestinas oriri: siquidem Ordinatio Ecclesiastica dicitur, ut illi, qui alienæ Religionis sint & in Regno nostro moriantur, cœmiterio quidem & sepultura, schola vero Psalmodiis & concionibus funebribus minime fruuntur; id quod tamen iam apud nos Lutheranos per libellos supplices sollicitè adeo multumque petatur. Quinimo, ne ipsos quidem Reformatos ea in defunctos suos esse duritiæ, qua iam nostrates vtantur. Dum nostrates enim mortuos suos in terram clam condere contendunt, reformatos sua funera publice & media in luce efferre tactis campanis & celebri comitatu. 7. Tollere tales sepulturas clandestinas insignem eam villitatem, quam ex funebribus concionibus Christiani hauriant: vixote in quibus Verbum Dei predicetur, & annuncietur, ac defunctus promeritum nanciscatur encomium vitæ Christiano more peractæ & bea-

Et beatae mortis testimonium, superstites autem cognati super  
luctu & afflictione sua solatium accipiant, & omnes funeris co-  
mites de meditatione mortis & mortalitatis suae commonescant,  
denique probi, ut promant defuncti vestigia in via virtutis, im-  
probi vero ad veram penitentiam excitentur & stimulentur,  
casu praesertim tragico existente. Eos igitur, qui mortuos abs-  
que praegnantia causa clanculum sepelire nitantur, euidenter de-  
monstrare, se verbum Dei contemnere, ex illo nullum solatium  
desiderare & mortuis suis iustum aeternae vitae encomium inuidere.  
§. Per abrogationem Concionum funebrium non solum Ministe-  
rium magnum accidentium & sustentationis detrimentum ca-  
pere, sed & scholas ac templa interire, praesertim quoniam po-  
tiores templorum redditus ex sepultura hucusque redundarint.

## §. XXVII.

Sed ad ista quidem facilis est responsio: quippe  
prioribus 3. rationes confundunt aperte sepulturam mi-  
nus solennem cum ignominiosa & plane asinina. Nam  
supra §. 3. ex Carpzouio satis ostendimus sepulturam mi-  
nus solennem esse speciem sepulturae non inhonestae, ipsi  
sed honestae: autem, qui Regimini se opposuerunt, satis di-  
lucide supposuerunt, ac si omissio spontanea ceremoniarum  
quarundam & maxime concionum funebrium igno-  
miniam afferat defuncto, id quod aperte patet ex ratione  
prima & doctrina Syracidis cap. 38. v. 16. ubi monet, quod  
quilibet mortuum suum lugere & honeste sepelire de-  
beat. Eadem est ratio rationis secunda & potissimum  
loci 1. Reg. 14. v. 13. ubi dicitur, quod solus Abia ex filiis  
Ieroboami debeat sepeliri cum planctu & luctu totius  
populi, quia bonus inuentus fuerit a Deo, cum reliqui  
eius posteri insepulti debeant deuorari a canibus & au-  
ibus. Denique cum in tertia ratione adducitur dictum  
Ierem. 22. v. 18. & 19. iterum sermo est de sepultura valde  
ignominiosa, dum Propheta minatur Ioiakimo, filio Ioi-  
fia,

Ad quas re-  
sponderetur: in  
prioribus  
tribus com-  
mitti consu-  
etudinem sepul-  
turae minus  
solennis cum  
ignominiosa  
& asinina.

fiæ, quod post mortem eius nemo luctu aut planctu ipsius funus sit comitaturus, sed quod instar asini cum ignominia extra portas Israelis ipsum sint proiecturi. Iam vero quis homo sanæ mentis sepulturam pro canina & asinina habere vellet, vbi concessione Principis ad petitionem cognatorum quidem omiffæ sunt, & conicio funebri & aliæ alias consuetae solennitates, sed vbi tamen cadaver in loco honesto terræ mandatur, comitantibus personis honestis cognatis videlicet & aliis amicis, adhibito etiam Ministro Ecclesiæ qui oratione & benedictione comitantes dimittat: cum potius cuilibet appareat talem sepulturam esse satis honestam etsi sine pompa.

## §. XXVIII.

*Item ex aliis  
rationibus  
docetur, eas  
parum pertinent  
in-  
ferre.*

Vt taceam, nonnulla adhuc esse, quæ in prioribus duabus rationibus admonitionem merentur. Nam quod dictum ex Syracide adductum attrinet, nescio, quo pacto ex eo probare velint, quasi verbum Dei præcipiat honestam sepulturam. Verbum Dei prædicatur de libris Canonicis Scriptura, sed Syracides est liber Apocryphus. Adde, quod liber Syracidis non contineat leges diuinas, sed præcepta doctrinalia, partim de iusto & iniusto, partim decoro & indecoro. Istud autem monitum, de eo, quomodo homo prudens se gerere debeat in sepultura mortuorum, primario respicit regulas decori seu honesti non iusti, quod vel indicat ratio ibidem *d. c. 38. v. 17.* posita, ne scilicet homines parum decore de eo, qui funeris curam habet, sentiant. Porro in ratione secunda adducitur etiam locus *Gen. 15. v. 15.* qui tamen ad hoc negotium est impertinens, quia ibi nihil aliud dicitur, quam quod Deus promittat Abrahamo, quod in pace debeat mori & in prouecta ætate sepeliri, de modo sepeliendi ibi nihil quicquam memoratur.

## §. XXIX.

## §. XXIX.

Quod in 4. ratione prouocatur ad exempla sanctorum, parum probat. Nam (1) notum est, quod exempla non probent, sed rem probatam saltem illustrent; (2) Exempla sanctorum mortuos suos cum ceremoniis (etiam multis) sepelientium, probant nihil aliud, quam quod sepultura solennis non sit illicita, non vero quod sit præcepta, vt non abrogari possit quod tamen erat in questione. (3) Indicium malæ causæ est, quod nullum exemplum hic nominetur, & ne quidem vnicus locus scripturæ allegetur. Scilicet viderunt opposites, si exempla nominarent, statim quemlibet deprehensurum esse, quod per ea non probetur, conciones funebres non posse omitti, sed potius quod ceremoniæ sint liberæ & secundum varios mores populorum diuersissimæ. Præstabat igitur, si opposites veritatis doctrinam intendisent, vel vnicum exemplum hic nominare, quam paulo prolixius refutare eos, qui pro licentia eiusmodi omissionis ceremoniarum monstranda ad exemplum Tobie clanculum sepelientis fideles, prouocauerant. Cum vero nos eo argumento non fuerimus vsi, & multæ sint nobis rationes suspicandi, quod mens eorum, qui forte Tobie mentionem iniecerant, in alienum sensum sit contorta, nemo a nobis postulabat, vt aduersariis hic aliquid opponamus.

*Respondetur ad rationem quartam de exemplis sanctorum.*

## §. XXX.

Circa 5. rationem plura monenda sunt. (1) Falsum est Ecclesias Lutheranas tales ceremonias, de quibus quaestio est, vnanimiter recepisse. Solent enim Ecclesie Lutheranae, vt in aliis Ceremoniis, ita & in ritibus sepulcrarum variare, præprimis autem quoad Conciones funebres in singulis fere ditionibus Principum Evangelicorum diuersæ sunt obseruantia. (2) Durius est,

*In quinta ratione plura ostenduntur partim falsa partim excusanda, partim a vitio haud vacua.*

est, quam vt excusari possit, quod hæ ceremoniæ sepe-  
 liendi mortuos quasi propugnaculum sint Lutherana  
 Religionis. Misera profecto Religio, quæ non meliora  
 propugnacula habet quam ceremonias ab hominibus in-  
 uentas. Aduersatur hæc assertio Augustanæ Confessio-  
 ni art 15. *De talibus ritibus admonentur homines, ne consci-  
 entia onerentur, tanquam talis cultus ad salutem necessarius  
 sit.* Foret autem necessarius, si esset propugnaculum  
 religionis Euangelicæ, quo expugnato, vt scribunt, ipsum  
 Religionis munimentum in hostium manus sit venturum.  
 Et debuissent Auctores huius obiectionis, vel ex excer-  
 ptis Ordinationis Ecclesiasticæ, quæ simul ab ipsis hoc  
 numero exhibentur, de inconuenientia assertionis ad-  
 moneri, cum eadem ibi contineantur, quæ modo ex  
 Aug. Conf. notauimus. (3) Illud autem vitio omnino  
 non vacat, quando hostium mentionem iniiciunt, qui  
 propugnaculum addicti Reformatæ Religionis, aut et-  
 iam plane Regimen ipsum politicum, quod dispensauit.  
 Prius non solum charitati Christianæ, quæ & Re-  
 formatis debetur, sed & præcepto octauo de non dicen-  
 do falso testimonio, secundum expositionem Cateche-  
 ficos minoris Lutheri grauius repugnaret, posterius au-  
 tem ad grauiora delicta referendum esset, pœnam ex-  
 emplarem merentia. (4) Insuper non leuius reueren-  
 tia Principi, & eius Regiminis, Principis personam re-  
 presentantis violatur, quando id priuatis annumeratur  
 in oppositione ad totam Ecclesiam, & verba Ordinati-  
 onis Ecclesiasticæ, quod nemini permittendum sit, *priva-  
 ta* autoritate quid in ceremoniis mutare, aduersus Prin-  
 cipem ipsum & Regimen eius non optima fide nec se-  
 cundum regulas honestæ interpretationis torquentur,  
 Quasi Princeps ordinationis totius Autor, seipsum hac  
 ordinatione & his eius verbis in classem priuatorum  
 reicere,



reicere, sibi que potestatem mutandi vel minuendi adimere voluerit. Sed hi videlicet sunt fructus, quod Politici tandem tacuerint ad doctrinas eiusmodi periculosas supra §. 21. & 24. notatas.

## §. XXXI.

Quod in 6. ratione de confusione & quasi Syncretismo affertur, quia Ordinatio Ecclesiastica disponat, homines diuersæ religionis sepeliendos esse absque cationibus scholasticorum & concione funebri, vix responsum meretur. Syncretismus est conciliatio diuersarum religionum in doctrina & fidei articulis. Syncretismus in ceremoniis nequidem quasi Syncretismus est, quamuis ipsi Autores hanc particulam adhibendo, innuerint, hunc non esse Syncretismum vere & proprie dictum, & tota obiectio indicet, eam ex affectu parum æquo in Reformatos profluxisse, & sequelam esse falsæ hypotheseos in ratione precedente suppositæ, ac si ritus hi sint propugnaculum religionis Lutheranae. Obliti haud dubie sunt Autores, dum ista scriberent, eorum, quæ Formula Concordiæ habet *tit. 10. Epit. Credimus, docemus, & confitemur, quod Ecclesia alia aliam damnare non debeat, propterea quod hæc vel illa plus minusue externarum ceremoniarum, quas Dominus non instituit, obseruet: si modo in doctrina eiusque articulis omnibus, & in vero Sacramentorum usu sit inter eas consensus. Hoc enim vetus & verum dictum est: Dissonantia ieiunii non dissoluit consonantiam fidei.* Igitur & vice versa consonantia ieiunii aut rituum sepulturæ non tollit dissonantiam fidei.

*Sextam rationem falsam supponere syncretismi Definitionem, & aduersari Formulæ Concordiæ.*

## §. XXXII.

Quæ in 7. ratione de vtilitate & præstantia Concionum Funebrum prolixius adducuntur, ansam nobis suppeditent, prolixius eadem refutandi, nisi inuidiæ euilandæ causa mallems mentem nostram verbis Icti pii &

*Ad septimam rationem de vtilitate &*

praesentia  
concionum  
funebrium  
respondetur  
verbis Brun-  
nemanni

*synodus* Lutherani B. Brunnemanni exponere. Sic vero ille de Iure Eccles. lib. 1. c. 6. membr. 1. §. 23. Merito mihi displicuit, quod ii, qui flagitiose vixerunt, & in morbo aliqua signa paenitentiae edidere, beati praedicentur in concionibus funebribus. Vt tales condemnandi non sint, nec a Regno aeterno excludendi, cum paenitentia vera nunquam sit sera, non tamen certum quid de eorum salute pronuntiandum. Scandalizantur sani, & eodem modo paenitentiam in modum ultimum differunt; & quid proderit defuncto, si beatus praedicetur, cum forte non sit? aut quid nocet si bene mortuus, & viui iudicium de salute eius suspendant, & iudicio diuino committant &c. Ideoque non male Dn. Ammersbach, encomia funebria, quibus hodie honorantur peruersa vitae homines, si modo Synaxi sacra usi sint, vocauit volumen volans, de quo Zachar. c. 5. agitur, nam inde execratio procedit in superficiem totius terrae, & quisquis furatur ex hoc populo, se innocentem asserit. Defuncto ille canonizationes non prosunt, & plerique (nam malorum hominum vbique maior copia est) exinde sumunt occasionem se confirmandi in malo &c. Subiungam hac de materia iudicium Theologi Clariss. Dn. Doct. Henr. Mölleri in den geistlichen Erquick Stunden c. 277. p. 573. vpi seqq. habet. Leicht-Predigten leichte Predigten, sagte jener, denn es ist ein refrigerium dabey. Ich wolte es schief umkehren und sprechen: Leicht-Predigten schwere Predigten, denn sie beschweren Hand und Beutel mit Gold und Silber. O liebliche Predigten. Gott erbarm dich! Leicht sind sie, weil sie gehen bey vielen aus einem leichten Sinn. Ist es nicht eine Leichtsinigkeit, daß du an Gottes Statt ein Lügner und falscher Zeuge bist, aus Finsterniß Licht, aus Lastern Tugenden machst, lobest, was lästerlich ist und setzest den Teuffel auff Gottes Stuhl. Der Todte muß gerühmet seyn, wäre er gleich ein Auszug aller Laster in seinem Leben gewesen. Sein Geiz muß Sparfamkeit, sein fleischlicher Zorn ein Göttlicher Eifer, seine Unflätteren Kurzweil heißen. Er that unrecht, so sprichst du, er habe

habe Unrecht gelitten, er fluchte, so sprichst du, er habe gebetet. Was richtest du damit an? Deine leichte Predigten machen leichte lose Leute; die hingehen, sich als Säue in Unflat der Sünden herum zu wälzen, verlassen sich darauf, daß deine Leich-Predigt allen Koth abwischen werde. Wer wolte böses meiden, wenn es in gutes kan verwandelt werden, und Ruhm bringen auch nach dem Tode? Glaube nur, daß einem treuen Diener Jesu die Leich-Predigten die allerbeschwerlichsten Predigten seyn, denn entweder sagt man die Wahrheit, oder nicht, jenes bürdet Feindschafft auf den Rücken, dieses Angst und Unruh aufs Gewissen. Ich meines Orts wolte, daß entweder keinem, oder allein, die es verdienen, Leich-Predigten gehalten würden. Jacobus will, daß der Arme in der Gemeine nicht weniger gelten soll, als der Reiche, wer rühmet aber den Armen nach seinem Tode? Er begehrets nicht, sprichst du, warum lieber, weil deine Begierde mit Geld nicht zu sättigen ist, dem Gelde hältst du Leich-Predigten und nicht den Menschen. Kupffern Geld, kupffern Seel-Messen. Mit einem Wort, wären unter den Geistlichen keine Geislinge, würde man der Leich- und Lügen-Predigten so viel nicht haben. *Addit Illustris Strykius in notis similem locum ex Zahn. Tr. de Mendac. lib. 1. c. 14. n. ult. Mentiantur quidam in concionibus funebribus, idque vel nimium deprædicando, attribuendo laudes defunctis contra fidem auditorum, & scientiam Predicatorum; E quibus blandientibus laudatoribus ad admirationem usque audimus, quid valeant bona opera, si non in vita, saltem in morte; Etiam si inter Theologos maxima de hisce lis sit, hæc tamen controuersia in laudanda morte ubique laudabili quiescit. Facete de hoc supremæ laudationis modo Owen.*

*Lædimus insontes viuos; laudamus eosdem*

*Defunctos, O mors candida, vita nigra.*

*Hirsutia multorum hyemes veris rosa inæstuntur, vitiorum-  
que vepres in flores conuertuntur. Quot vitia, quot errores  
satis*

*fatis scandalosi mortuorum, omnibus innocuerunt: quæ tamen affectate teguntur, ne sermocinantes in hoc articulo cum Demosthene a Legatis Milesiorum, pecunia corrupto, non Angina sed Argentaria laborantes, oleam operamque perdant, hoc detegendo, quod terra iam tegit, ad quod utique adhibetur palliolum, non tam Christianæ charitatis quam hereditariæ libertatis.*

## §. XXXIII.

*Ultima ratio  
reicitur  
verbis Apolo-  
giæ Augusti-  
næ Confessio-  
nis.*

Ultima ratio, vti prægnantissima & forte vnica fuit, ista scribendi, ac propterea vltimo loco reseruata; ita prudentius forte fecissent autores, si eam plane omisissent. Operam vbique dabunt Principes, vt ministris verbi debita salaria non subtrahantur, sed potius augeantur, sed & operam dare debent genuini Pastores, ne turbas moueant ob pingua accidentia, quibus ambitio & luxus dedit originem, ne similes eos Laici habeant Papistico Clero: quos grauiter notarunt Autores Apologię in titulo de Potestate Ecclesiastica. Digna essent verba eorum, quæ integra hic legerentur, præprimis cum non sint a præsentī scopo plane aliena; sed quoniam nimis dura sunt, potissimum in editione Germanica, & vero nos ea hoc respectu ad Autores illos nolumus applicare, remittimus Lectores ad ipsam Apologiam: Ita incipiunt autem: *Über wolle Gott, daß die Widersacher, &c. & desinunt: Rechenschafft von Prälaten fordern.*

F I N I S.



00 A 6434


ULB Halle 3  
002 923 033



VD 17







17  
2. D. B. V.  
DE

IVRE PRINCIPIS  
EVANGELICI CIRCA  
SOLENNIA SEPVLTVRÆ,

Vom  
Recht Evangelischer Fürsten  
bey Leich-Begängnissen,

PRAESIDE

DN. CHRIST. THOMASIO, ICto,

POTENTISSIMI REGIS BORVSSIAE AC REVEREND. ET SERENISS.  
DVICIS SAXO-NVMBVRG. CONSILIARIO RESPECTIVE INTIMO, PROFESS.  
IVR. ORDIN. ET FACVLT. IVRID. h. t. DECANO,

IN ALMA FRIDERICIANA,

IN AVDITORIO MAIORI.

DISPVTAUIT PVBLICE

d. 8. Aprilis M DCC II.

H. L. Q. C.

NICOLAVS PETRAEVS Giedda,

S V E C V S.

Recusa, HALLÆ MAGDEBVRGICAE,  
TYPIS CHRISTIANI LVDOVICI SYMPHERI, ACAD. TYPOGR.

1740.

(6)